

...ration.

4

01

A

55



M. K. 22⁷
(Luth. 43 F. 43.)

Q. D. B. V.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

ANIMÆ RATIONA-

LIS IMMORTALITATE,

Quam

Jehovâ favente,

&

Amplissimâ Facultate Philosophicâ

Almâ in Salana suffragante,

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS GEORGII De

VVetten, Mauâ-Thuringi

Publico Eruditorum examini subjicit

A. & R.

JOHANNES FREUDENREICH

Manstad. Thuring.

Ad diem Novemb.

H. L. Q. C.

J E N Æ,

Typis SAMUELIS ADOLPHI MÜLLERI,

ANNO M. DC. LXIX.



V V I R O

Illustri, per quàm Magnifico atq; Consultissimo,
DN. JOHANNI THOMÆ, Jcto Cele-
berrimo, Hæreditario auff Naundorff / Illustrissimi
Ducis Saxo Altenburg. Consiliario Intimo, Cancel-
lario Eminentissimo, redituumque Ducalium
Directori Supremo &c.

V I R O

Magnifico, Maximè Reverendo, Generosissimo atque per-Strenuo
DN. JOHANNI DIETERICO A
Schönbergk Hæreditario in Mittelfrohna und Goltz-
scha / Illustris. Principi Saxo-Altenburg. à Consiliis &
Sacram Themidem concernentibus, Consistoriiq;
Sacri, quod ibidem est Præsidi Eminentissimo, J
it. Canonico Numburg. Sanctis. &c.

V I R O

Maximè Reverendo, Amplissimo atq; Excellentiss.
DN. JOHANNI CHRISTFRIED. SA-
GITTARIO, SS. Th. D. Famigeratis. Concionatori
ejusdem Aulæ Primario, Superintend. totius Ducatus
Generali & Hagio-Synedrii superioris
Adlessori Splendidissimo &c.

*DNN. Evergetis, Patronis atq; Promotoribus suis demissò animi
cultu perpetim suspiciendis,*

*Primitias hæc Academicas summa animi submissione
& debitò observantiæ cultu in studiorum suorum
commendationem offert*

Autor & Respond.

Johan Freudenreich / SS. Th. Stud.



DISPŪTATIO

De

ANIMÆ RATIONALIS
IMMORTALITATE.

I.

Quam arduum & quam difficile sit, statuere aliquid ductu luminis naturæ de anima hominis rationali, haut difficulter colligere licet ex magna, quæ semper hac de materia extitit, Philosophorum discordia. Alii enim, teste Stagiritâ, Philosophorum omnium longè principe, animam dicere fervidum corpus, igneis constans atomis, magnæ & singularis putârunt esse sapientiæ. Hi enim, in quorum numero Democritus & Leucippus erant Coryphæi, hi, inquam, cum animadverterent, corporis motum originem trahere ab anima, ignemque vim movendi habere maximam, non dubitabant jam adductum de anima ferre iudicium. Alii, moti hæc ratione, quod simile non nisi à simili possit cognosci, crediderunt, iisdem cum rebus corporis animam consistere principis. Alii denique subtilitatem respicientes substantiæ, minutissimum eam esse corpus, quod subito se posset movere ab una parte in aliam, omnibus contenderunt viribus.

*Lib. I. de
anima c.
2. t. 20.*

ibid.

ibid. t. 33.

A 2

II. Cùm

II. Cùm igitur cognitio animæ rationalis ex lumine naturæ tantis involuta sit difficultatibus, multaque summi acuminis ingenia, in hac indaganda desudârint, frustra, paulò accuratiori mentis trutinâ expendenda erit ejus immortalitas. Ne igitur statim impingamus in limine, probè erit notandum, immortale aliquid duplici dici significatu (1.) *absolutè & simpliciter*, quod neque respectu alicujus intrinseci, neque respectu alicujus extrinseci principii admitttere potest corruptionem, vel quod neque per potentiam naturalem, neque per potentiam obedientialem potest destrui. Hòc modò solus Deus, tanquam ens independens, dici meretur immortalis. (2.) immortale aliquid dicitur *ex suppositione*, quod non potest interire neque ex natura sua, neq; per causam aliquam externam naturalem, nisi per potentiam Dei absolutam, seu per retractionem manus & suspensionem influxûs Dei generalis. Hòc modò Angeli naturâ suâ sunt immortales, quia nullum neque in se neque extra se desinendi habent principium, præter Dei omnipotentiam. Quando jam Philosophi de animæ rationalis immortalitate ferram reciprocant contentionis, tunc respectum habent ad immortalitatem posteriori modò sumtam. Quod enim priori modò non sit immortalis, vel ex eo sufficienter patet, quod anima est ens in esse suo à Deò dependens, & ne ad momentum quidem, subtractò concursu Dei generali, potest existere.

III. Deus enim ter Optimus Maximus creaturam à se factam, non deseruit, quemadmodum architectus domum, quam extruxit. Ideoque creatura non potest esse sine Dei potentia conservatrice, sicuti do-
mus

mus subsistere potest sine adminiculo architecti. Hujus autem, teste B. Schlevogtò, nulla dari & assignari potest ratio melior, quàm quod creatura totum suum esse accipiat à Deo, effectus autem artificis ab artifice minùs, cum artifex tantummodò producat formam aliquam vel figuram ex varia rei dispositione consurgentem, non verò etiam e.g. lignum, & quæ, tanquam materialia, ad aliquod artificium requiruntur.

*B. Schlev.
Disput. 2.
de Creat.
in genere
§. 26.*

IV. Hinc Conimbricenses dicunt, magis dependere creaturas à Deo, quàm lumen à corpore luminoso, & primam causam plus inseparabiliusque influere in effecta, quàm causas secundas. Sicut igitur lux statim evanescit nisi conservetur à corpore luminoso: ita etiam, cessante Dei influxu, creaturæ illicò collabuntur in nihilum. Quare nonnulli ex Scholasticis compararunt esse creaturæ in ordine ad primam causam cum figura, à sigillo impressâ in aquam, & cum pondere, quod in aëre tenetur manu. Sicut enim figura in aqua, sublatò sigillò, confestim perit, & amotâ manu, pondus ruit: Parili modò, si vel ad unicum momentum Dei abesset concursus, creaturæ non possent non ad unam omnes confestim abire in nihilum. Sed quò labimur? Integrum enim nobis non est, neque ratio nostri instituti permittit, demonstrare concursum Dei generalem, sed illum tantum præsupponimus.

*Consil. Conimbr.
Comment.
in Phys.
Arist. 1.2.
c. 7. q. 10.
a. 2.*

V. Quod igitur concernit rem ipsam, omnes, quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, unò affirmant ore, animam ex natura sua & in ordine ad causas naturales esse immortalem. Ex horum censu fuit, Plato haut postremus. Ex hujus scriptis enim Benedictus Pererius multa eaque probabilia pro immortalitate animæ deducit argumenta. Maximè autem hoc

*Pererius
in Phys. 1.
6. de forma c. 19.*

commendat, quod Plato desumpsit à motu, & statuit, exinde animam non posse esse mortalem, quia movetur à se ipsa, h. e. quia actionem habet propriam, & corpori non communicabilem. In eadem sententia fuit etiam Pythagoras, ejusque Præceptor Pherecydes, quem Cicero tradit primum de æternitate animarum disputasse. De quibus videri potest Lactantius Firmianus. Hisce calculum suum adjicit Cicero, in hæc prorumpens verba: *Omnium animi immortales sunt, sed bonorum fortiumque divini. Item: Corpus hoc est mortale, animi verò motus sempiterni.*

Lactanti9
de Divino
premio l.
7. inst. p.
557. Cic. de
leg. id. pro
Sestio.

Thomas
contra
gentes c.

79.

Conimb.
Tract. de
a. h. c. 1.

a. 2.

Aristot. l.
2. de gene-
rat. ani-

mal. c. 3.
id. lib. 1.
de anima

c. 4.

id. lib. 2. de
anim. c. 2.

id. lib. 3. de
a. c. 5. t. 20.

VI. Hanc etiam Phyllidem amplexus est Aristoteles, cujus Autoritas est locò omnium. Sicut de eo testantur Thomas, Conimbricens. Pererius &c. Et miror, cur nonnulli eam jam laudato Philosopho è brachiis torquere conentur, cum tamen videant, omnibus ipsum reniti viribus. Sic enim, postquam probavit de cæteris animabus, eas in virtute feminis contineri & ab ea in actum deduci, concludit: *λείπεται δὲ, τὸν νῦν θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. ἔτε γὰρ αὐτῆ τῆ ἐνεργεία κοινῶν σωματικῆ ἐνεργεία. i. e. Restat igitur, mentem solum extrinsecus accedere, eamque solam divinam esse. Nihil enim cum ejus actione communicat actio corporalis. It. τὸ νοεῖν δὴ καὶ τὸ θεωρεῖν μαραινεται, ἀλλ' ἔτινός ἐστω φθειρομένον, αὐτὸ δὲ ἀπαθείς θεῖ. i. e. Et ipsum igitur intelligere & contemplari marcescit, quia aliud quoddam intus corrumpitur, ipsum autem passione vacat. Gamella profert alibi, inquiens: *Ἄλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι. καὶ τὸ μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ αἰδίον ἔφθασεν. Sed videtur hoc animæ genus esse diversum, & hoc solum potest separari, sicut perpetuum à corruptibili.* Item etiam intendit his verbis. *ἔχ' ὅτε μὲν νοεῖ, ὅτε δὲ ἔ νοεῖ, χωριθεὶς δὲ θεῖ.**

ἔστι μόνον τὸ δ', ὅπερ ἔστι; καὶ τὸ μόνον ἀθάνατον καὶ αἰ-
διον. i. e. Non aliquando quædam intelligit, aliquando non in-
telligit, separatus vero id est solum, quod est, atque id solum est
immortale perpetuumque.

VII. Hæc Aristotelis loca tantæ sunt perspi-
cuitatis, ut iis nemo, nisi peponem habeat pro cere-
bro, possit refragari. His prætereâ accedit etiam illud,
quod Pererius locô citatô refert ex Themistio, Aristo-
telem scilicet ad Eudemum Cyprium familiarem suum
(cui inscripsit septem libros Moraliû) exarâsse Dia-
logum, multasque rationes ad ostendendam nostrî a-
nimi immortalitatem collegisse. De hoc Eudemo,
quod etiam annotavit Pererius, scribit Cicero, narrat-
que somnium quoddam ejus, ad animæ spectans im-
mortalitatem, disertis verbis ab Aristotele confirma-
tum. Nulli igitur dubitamus, quin Aristoteles animæ
immortalitatem cognitam habuerit atq; perspectam.

Cic. l. 1. de
Divinat.

IIIX. Sed quicquid sit de Autoritate. Ratio e-
nim vincet, ideoque ratione etiam erit pugnandum:
Multæ autem à multis pro animæ rationalis immorta-
litate proferuntur rationes, quarum tamen quædam
vel planè nihil probant, vel saltim aliquam probabili-
tatis præ se ferunt speciem. De Platonis argumentis
dicit Lactantius, quod licet ad rem faciant multum,
parum tamen habeant firmitatis ad probandam & im-
plendam veritatem. Nam, inquit, licet verum de animæ
immortalitate sentiret, tamen non ita de illa, tanquam de summo
bono differebat. Quod Lactantius dixit de Platone, id
etiam nos dicimus de Lactantio. Nam ipse etiam uti-
tur talis modî telis in probatione animæ immortalita-
tis, quæ nemini nocent, & tales adhibet rationes, quæ
non assequuntur, quod intendunt. Argumentum ejus
potissi-

Lactant. potissimum est hoc: Quodcunque solo constat ele-
l. 7. Instit. mento ignis, id non potest non esse immortale. Ra-
Div. de tionem addit, quia elementum hoc est leve, sublime &
Div. præ- Cœleste, quia est elementum lucis ac vitæ, vel quia
miò p. 560. sublevat ad vitam, quæ est in summo &c. Atqui anima
constat solò elemento ignis. E. De consequentia ma-
joris nihil dicam, probet modò Lactantius minorem.
Alii alia proferunt argumenta. Nos sequentibus ani-
mæ immortalitatem evincemus rationibus:

IX. (I.) Quicquid est immateriale, illud etiam
est incorruptibile & consequenter immortale. Atqui
anima rationalis est immaterialis E. Maj. est extra-
controversiam. Materia enim sola est potentia natu-
ralis passiva ac receptiva actionis corruptivæ. Min.
probatur (I.) ex animæ operationibus. Nam opera-
tio arguit rei naturam, ostenditque ejus virtutem &
potentiam. Id propter, ubi sunt eadem in specie ope-
rationes, ibi easdem esse res & eadem principia, colli-
gimus. Hinc Philosophus expressè ait, animam esse
Arist. l. 2. perquirendam ex ipsius operibus. Probatur autem
de anima hòc modò: Cujuscunque operationes sunt immate-
c. 2. riales, illud ipsum est immateriale. Atqui animæ &c.
E. Min. probatur, quia & operationes intellectus & o-
perationes voluntatis, quæ sunt animæ potentiæ, sunt
imateriales. Quod operationes intellectus sint im-
ateriales, id patet ex eo, qui intellectus inter ens
corporeum & Spirituale distinguit, quia in actum su-
um reflectitur, dum se intelligere cognoscit, quæ a-
ctiones non dependent à corpore & consequenter
non sunt materiales, cum aliàs etiam à sensibus possent
perfici. Quod concernit actiones voluntatis, illas et-
iam imateriales esse, ex eo constat, quia nec dependen-

dent à corpore nec à sensibus. Quod non à corpore pendeant, id certum est, quod etiam non à sensibus, probatur, quia nullus datur sensus, qui voluntati possit inferre necessitatem. Sed voluntas liberè suas elicit actiones, etiam sapissimè repugnante appetitu sensitivò. Vid. Dannhavverus.

X. Animæ immaterialitas probatur (2.) hòc argumentò: Quodcunque non dependet à materia in fieri neque in esse illud est immateriale. Atqui anima non dependet à materia in fieri neque in esse E. Maj. Clara est. Min. probatur ex Aristotele, qui locò supra citato dicit, *mentem extrinsecus accedere vel non educi è potentia materiae*. Si igitur extrinsecus accedit, non dependet à materia in fieri & consequenter neque in esse. (3.) Si mens vel anima non corrumpitur, sicuti sensus, à vehementi sensibili, sequitur eam non esse materialem seu corpoream. Prius est verum E. & posterius, Prius probatur ex Aristotele, qui dicit: *Auditus non audit sonum post magnos sonos & visus non videt post vehementes colores; at intellectus aliquò valdè intelligibili intellectu, non minùs sanè sed magis percipit intelligitque inferiora. Sensitivum enim non est sine corpore, at intellectus ab eòdem est separabilis*. Sic v. g. Scientia rerum Metaphysicarum non destruit nostrum intellectum, eumque impedit, quò minùs possit cognoscere scientias inferiores, sed illum maximè perficit. (4.) Raymund. de Sabunde ita pro animæ immaterialitate argumentatur: Quicquid idem manens millies millenas diversissimarum etiam rerum & contrariarum (magnarum & parvarum, albarum & atrarum, calidarum & frigidarum) imagines recipit adeò libere, ut locum inveniant omnes, nec alia aliam impediat vel destruat, illud est immateriale.

B

Atqui

Dannh. in
Colleg.
Psycholo-
gico Diss.
IV.

Controv. 1.
lib. 2. de
generat.
animal.
c. 3.

l. 3. de ani-
ma c. 4.

Raymūd.
de Sab. in
oculo fidei
vel Theol.
Natu. c.
217. p. 222.

Atqui intellectus hominis &c. E. Sed quid de hoc posteriori argumento sit sentiendum, judiciis relinquatur limatioribus.

XI. Dicis: Quicquid patitur, est materiale. Anima rationalis patitur E. anima rationalis est materialis. Major supra fuit concessa §.9. Minor probatur quia intellectus varias in se recipit species, per quas omnes ipse immutatur. Resp. hanc objectionem esse modò scrupulum non verò scopulum. Nam quod ad majorem attinet, illa non est universaliter vera. Ut hæc rectius intelligantur, sciendum est, π pati tribui (1.) materiæ physicæ, & importare semper in illa mutationem quandam realem. Sic homo patitur ex cachexia. (2.) π pati tribuitur etiam cuilibet subjecto, quod aliquid in se recipit. Nunc limitamus majorem: Quicquid priori modò patitur, illud est materiale & corrumpitur. Sic vera est major propositio, falsa autem minor. Anima enim tantummodò patitur posteriori modò, & sic non necesse est, ut sit materialis & corrumpatur. Talis enim passio tantum præsupponit materiam in qua i. e. subjectum, in quo accidentia recipiuntur. Tale subjectum autem potest etiam Spiritus esse, Angelus &c.

XII. (II.) Si nihil datur in hac vita, quod animam hominis possit omninò explere & satiare, sequitur illam esse immortalem. Antecedens est verum. E. Antecedens probatur inductione. Non enim appetitus noster (Si est secundum rectam rationem) acquiescit in tempore, non in loco, non in imperio, non in honore, non in voluptate, imò in nullo bono, quod apprehendit, ut aliquando desitutum, sed appetit istud quod est æternum, imò nihil magis habet in votis, quam

quàm ut post interitum etiam vivat. Hinc multi tantò immortalitatis flagrârunt appetitu, ut sibi ipsis manus intulerint violentas. Multi ex amore immortalitatis, jamdum in hac vita perpetuâ laude & gloria voluerunt vigere. Consequentia probatur, quia aliàs hic appetitus esset frustraneus, quod est contra Philosophum, & quia non daretur ultimus hominis finis. Quod quàm absurdum sit, cuilibet relinquo judicandum. Videantur de hoc argumento plura apud Raymund. de Sabunde, apud Pererium, apud Magirum &c.

XIII. (III.) Si hominum conscientia post male facta tremit, post benè gesta latatur, sequitur, quod anima hominis sit immortalis. Atqui antecedens est verum E. & consequens. Anteced. nullâ indiget probatione. Constat enim experientiâ, homines post scelerum commissionem, etiam nemine eos accusante, & peccatò in occultò latente, maximos conscientiaë sensisse cruciatus. De Nerone Imperat. Rom. legimus, quod, postquam Matrem Agrippinam occiderat, quanquam hoc malefactum etiam gratulationibus militum, senatûs, populique fuerit confirmatum, sæpè tamen confessus fuerit, se exagitari materna specie, verberibus furiarum, ac telis ardentibus. Hinc ita canit Poëta:

*Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intrâ
Pectora pro facto spemque metumque suo.*

Consequentia patet, quia hic metus & tremor gaudium & letitia, à nullo alio possunt provenire, quàm à pœna & præmio, quæ unumquemque post separationem animæ manent. Non enim v. g. metus suboritur è pœna temporalis vitæ, cum, uti dictum, malefactum sæpissimè sub occulto geratur pectore. Relinquitur

B 2

E. ani-

lib. 2. phys.
c. 8.

Raym. d.
Sab. in
Theol. na-
turali l.
suprà ci-
tato. Pe-

rer. lib. 6.
de forma.
Magirus.
in phys. l.
6. c. 18. p.
815.

Dion. in
Nerone

Ovid. l. 5.
Fastorum.

E. animam, separatam etiam à corpore existere & esse
immortalem. Nec est, quod putemus, animam sepa-
ratam tantummodo ad tempus remanere, pœnasque
luere, vel præmiis frui, postea verò evanescere. Nam
anima separata procul omni dubio existit naturali-
ter, de quo infra agemus, si vero naturaliter & inde-
pendenter à materia, quid obstat, quo minùs semper &
in æternum remaneat?

XIV. (IV.) Si anima rationalis non manet su-
perstes soluta à corpore, sequitur, quod Deus sit inju-
stus, quòd non habeat providentiam circa res huma-
nas. Consequens non tantum est absurdum sed & cum
blasphemia conjunctum E. & antecedens, falsum erit.
Quòd consequens sit absurdum, cuilibet obvium est.
Nam Deum esse injustum, quis dixerit? Deum non
curare res humanas, quis affirmaverit? Si enim res na-
turales, quæ dignitate naturæ hominibus longè sunt,
inferiores tantâ sapientiâ reguntur, ut nunquam vel
rarò à proposito sibi sine aberrent & deficient, magnæ
insaniæ erit arbitrari, res humanas casu & fortitudo
contingere nec Deum illarum habere curam. Huc
spectant versus illi Virgilii, quibus exhibet Nisam, for-
mosam puellam, quòd tam stupido & deformi nupse-
rit Mopso:

Virgil.
Ecloga 8.

*O digno conjuncta viro, dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capella,
Nec curare Deum credis mortalia quæquam.*

Consequentia stabilitur, quia impii in hac vita plerun-
que magis prosperè vivunt quam boni, cum plerunq;
affluant omnium rerum bonis, superbè imperent &
tyrannicè dominantur Viris justis. Id quod ipsa etiam
confirmat Scriptura Sacra, dum dicit, impios non esse

Psal. 73. v.
s. & 12.

in

in labore hominum & cum hominibus non flagellari,
eos eminere in mundo & obtinere divitias: E. contra-
ria verò pii, qui suam vitam consecrant virtutibus &
cultui Divino, sunt abjecti & miseri juxta illud tritum:

Pontificat Moses cum sacco per civitatem.

Nisi igitur anima nostra esset immortalis, sed cum cor-
pore penitus extingueretur, sanè multis parasangis su-
peraret status hominum malorum conditionem bo-
norum; imò, nisi hæc inordinatio tandem aliquando
in altera vita ad certam aliquam revocaretur legem.
Deus non tantum nullam haberet circa res humanas
providentiam, sed & esset injustissimus, quippe qui
permitteret, ut esset improbis improbitas lucro, &
pii pietas detrimento; quod tamen homines, nisi pla-
nè beluarum more vivant, nedum credere, sed & co-
gitare perhorrescunt. Plura pro hac sententia in me-
dium proferre superfedemus, cum non in argumen-
torum numero sed pondere robur consistere docti
existiment.

XV. Verum licet sententia hæc, quod anima
rationalis ex natura sua sit immortalis tam firma sit,
tantisque munita rationibus, ut nullâ possit expugnari
fraude, nullisque everti machinis, catervæ tamen ad-
versariorum nullis non temporibus in hanc ipsam su-
am immiserunt arietem. Alii planè infringere conati
sunt animæ immortalitatem. Alii nolentes contradi-
cere Scripturæ Sacræ, tantum contenderunt, eam ex
ratione non esse demonstrabilem. Ex priorum nu-
mero prodit primus Dicæarchus qui Philosophus fuit
Siculus, ex Messana civitate, & Aristotelis auditor.
Hic opinatus est, hominum exordium extitisse nul-
lum, tanquam semper fuerit humanum genus, com-

posuitque tres libros, in quibus scribit, animam nihil aliud esse, quam vim quandam atque potentiam, æqualiter fusam tam in corporibus brutorum quam hominum, eamque à corpore credebat esse inseparabilem & unam cum corpore interire. Hunc secutus est in hac sententia Democritus, Epicurus cum suis asseclis, Lucretius &c. De quibus omnibus videri & evolvi potest Lactantius Firmianus. De Lucretio dicitur ibidem, quod tandem victus veritate, sui ipsius fuerit oblitus & hosce composuerit versus:

Lactant.
in Div.
Instit. lib.
VII. de
Divino
premio p.
556.

*Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terram: Sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursus Cæli fulgentia templa receptant.*

Quod ejus non erat dicere, qui perire animas cum corporibus differebat, sed & imprudenti ratio vera surrepsit.

Eras. l. 8.
apoph.

XVI. Ejusdem farinae fuit etiam Demonax, Philosophus alias insignis. Percontanti enim, qualia putaret esse apud inferos, respondisse dicitur: *Expecta, & simul atque illuc venero, per literas tibi significabo omnia.* Nec enim credebat inferos nec animarum immortalitatem. Multa alia eorum exempla, qui animæ immortalitatem negarunt, non tantum ex gentilibus, sed etiam ex Christianis possent proferri, si ratio nostri instituti id permetteret.

Scotus 4.
sent. dist.
43. q. 2.
Hervæus
lib. 1. sent.
dist. 1. q. 1.

XVIII. Inter illos, qui tantum inficiati sunt, animæ immortalitatem ex lumine naturæ nobis innotescere, præprimis capita sua tollunt Scotus, Cajetanus Cardinalis in expositione super tertium caput Ecclesiast. sub finem, Hervæus &c. Hi omnes asseruerunt, immortalitatem animæ nostræ, nec ab Aristotele, nec ab ullo

ullo Philosophorum demonstrativè probatam esse,
nec posse naturaliter probari, sed fide tantum à nobis
credi. Possunt autem pro hac sententia sequentes ad-
ferri rationes:

XIX: (I.) Quicquid nascitur cum corpore, il-
lud etiam cum corpore interit. Anima rationalis na-
scitur cum corpore E. Maj. probatur, qui nulla appa-
ret ratio, cur illud, quod cum corpore nascitur, cor-
pore sit durabilius. Min. clara est. Ad hoc argumen- *Lucret.*
tum, quod est Lucretii, respondetur, majorem dupli- *lib. 3.*
cem posse habere sensum (1.) hunc: Quicquid simul &
unò eòdemque tempore fit & nascitur cum corpore,
illud etiam simul cum corpore interit (2.) etiam hunc
habere potest sensum: Quicquid cum corpore eadem
habet principia & eòdem modò nascitur, illud etiam
cum corpore perit. Jam, si major intelligitur à Lu-
cretio priori modò, dicimus, eam esse falsissimam.
Potest enim aliquid simul cum corpore incipere, quod
est tenue & nihil in se habet terreni; quis verò diceret,
illud cum corpore eòdem tempore etiam debere re-
solvi vel abire in nihilum. Si Lucretius Majorem in-
telligit posteriori sensu, hunc negamus minorem,
quod anima cum corpore nascatur h. e. eadem cum
corpore habeat principia. Corpus enim est materiale
quid, & constat ex elementis: anima verò Spiritus est
& materiae expers. Ideoque non sequitur, animam
cum corpore simul de liquefcere & dissipari.

XX. (II.) Quicquid dividi potest quantitati-
vè, illud est corporeum & consequenter corruptibile.
Atqui anima rationalis quantitativè potest dividi E.
Maj. clara. Min. probatur: Anima, consentiente Phi-
losophorum coronâ, est in qualibet parte corporis,
ampu-

amputatâ itaque & decisâ manu alterâ, dividitur anima ad divisionem corporis. Sed hic nodus non indiget gladiô Alexandri. Respondetur igitur ad minorem per inficiationem, quò scilicet anima rationalis quantitativè dividatur. Nam quicquid non habet quantitatem, illud etiam quantitativè non potest dividi. Atqui anima rationalis non habet &c. E. Min. probatur quia anima rationalis est Spiritus, quantitas autem est affectio corporis. Quod attinet probationem, ad hanc dicimus, non sequi ex casu allato animæ rationalis divisionem. Ut autem constet, quò anima abeat, sciendum est, animam non regredi ad partes superstites per aliquam sui duplicationem, cum plures partes formæ in eodem subjecto efficiant intensiorem, cujus tamen anima rationalis est expers. Deinde hæ partes etiam essent supervacaneæ & otiosæ, quia totum munus ipsarum jamdum ab aliis exercetur partibus. Sed anima rationalis, amputata parte aliquâ corporis, abit in se ipsam per virtuales unionem sine omni, geminatione & divisione.

XXI. (III.) Si anima rationalis mortem abhorrescit, sequitur, quod separata à corpore non maneat superstes. Antecedens est verum E. Anteced. probatur experientiâ. Nullus enim hominum est tam ferreus, cui mors non incutiat aliquem terrorem. Consequentia probatur, quia horror ipse non aliunde videtur provenire quàm ex animæ interitu mox subsequuturo. Verum hoc argumentum etiam tanti roboris non est, ut ipsi cedant quatuor illa, quæ pro sententia contraria sunt allata. Negamus consequentiam. Unius enim rei plures possunt esse fines, non igitur necesse est, ut horror iste suboriatur ex animæ interitu,

teritu, cum possit etiam originem trahere ex poena,
quæ manet quemlibet finaliter in credulum, infernali,
vel ex dolore, quod hominem mortis crudelitate o-
porreat mundi relinquere thesauros, & res quasque si-
bi charissimas.

XXII. (IV.) Quicquid intrinsecè spectat ad ani-
mæ essentiam, illud, nunquam ab anima salvâ manente
ejus essentiâ, potest separari. Atqui actum esse corpo-
ris &c. E. Maj. clara est. Min. probatur quia anima
definitur ab Aristotele, quod sit *ἐν τελέχεια* corporis *physi-*
ci & organici, vitam habentis potentia, ubi potissima pars a-
animæ ponitur in ἐν τελέχεια feu actu. Jam porro infer-
tur: Si actum esse corporis organici ab anima non
potest separari, ultrò sequitur, animam, à corpore se-
paratam, evanescere. Sed respondemus neg. mino-
rem, quod actum esse pertineat ad animæ rationalis es-
sentiam. Quod probationem attinet, quæ desumpta est
ex definitione animæ, ad hanc dicimus, Aristotelem
non considerare animam eò modò, quò nos hòc locò,
quãdo illam definit per actum corporis organici. Cõ-
siderat enim Aristoteles eam ut formam corporis; quâ
ratione verum est, actum esse pertinere ad ejus essen-
tiam & esse ab anima inseparabile quid: Nos verò eam
consideramus in se, quatenus non habet rationem for-
mæ sed tantummodò est substantia expers materiæ &
formæ.

XXIII. (V.) Quodcunque dependet semper à
materia in operando, illud etiam est materiale & con-
sequenter corruptibile. Atqui anima rationalis depen-
det semper à materia in operando E. Min. probatur,
quia anima sensitiva, quippe quæ materialis est, species
sensibiles animæ rationali offert, sine quibus ea nihil
potest

*Arist. 2. de
anima c.
1. 5. 6.*

C

potest

lib. 3. de anima t. 30.

Scal. exerc. 307.
Sect. 9.
Magirus
Comment.
in Phys. l.
7. c. 9. p.
m. 820.

Arist. l. 3.
de anima
c. 4. t. 6.
c. 7.

potest intelligere. Idem patet etiam ex Aristotele, qui dicit animam non intelligere sine phantasmate. Sed respondemus (1.) neg. propositionem minorem, quod anima semper dependeat à materia in suis operationibus. Quod dicitur in probatione, animam nihil posse intelligere sine anima sensitiva offerente species obiectorum, ad hoc dicimus, hoc tantum verum esse quando anima intelligit objecta sensibilia; id quod etiam comprobatur istud tritum: *Nihil est in intellectu, nisi prius fuerit in sensu.* Alia autem ratio est, quando intellectus cognoscit se ipsum. Tunc enim non dependet à materia, cum semet ipsum non intelligat per speciem, sicuti cetera entia materiata, sed per reflexionem. Quod autem intellectus se non cognoscat per speciem sensibilem vel intelligibilem, ex eo solet demonstrari, quod species conducatur ad hoc, ut per illam obiectum potentiae cognoscitivae satis reddatur propinquum, intellectus autem sibi satis sit propinquus, & sic non opus habeat specie intelligibile (2.) Resp. ad maiorem eam moderando h. m. Quodcunque dependet in operando semper à materia, ut ab instrumento, illud etiam est materiale & consequenter, corruptibile. Sic major habetur pro vera, sed negatur minor propositio. Anima enim rationalis dependet quidem ab anima sensitiva non autem ut ab instrumento, sed ut à dictatrice, & à quodam exhibitore. Sic scriba dependet tum à calamo, tum à dictante: A calamo dependet ut ab instrumento, à dictante, ut exhibitore eorum, quae in chartam sunt conijcienda. Quod autem non dependeat à corpore ut instrumento, Aristoteles probat duplici ratione: Primo quia, si anima aliqua corporis parte uteretur pro instrumento, tunc esset certà qualitatibus temperie affecta.

cta, ideoque non intelligeret omnia, sed potius ab excellenti intelligibili læderetur. Deinde, quia nulla pars corporis potest nominari cujus ope intelligat.

XXIV. Dicis: Si cognitio intellectus impeditur, cum læditur cerebrum & sensus internus, sequitur quod anima in intellectione cerebrò & animâ sensitiva, ut organis utatur. Respond. N. C. quod enim impeditur intellectus, læsò cerebrò & sensu internò, inde proficiscitur, quia intellectus sensibilia & illa quæ habet extra se ope phantasmatum percipit, quæ phantasmata, corruptò cerebrò, & læsò sensu internò, non rectè sese habent.

XXV. (VI.) Si anima rationalis est ex natura sua immortalis, sequitur quod in statu separato existat naturaliter. Consequens est absurdum E. & Antecedens. Consequens absurdum esse probatur, quia anima naturaliter existit in statu informationis seu conjuncto E. non naturaliter existere potest in statu separationis, tanquam priori opposito. Antequàm ad hoc argumentum respondeatur, sciendum est, naturale non sumi eodem modò, sed quatenus opponitur modò supernaturali, modò violento, modò præternaturali. Naturale supernaturali oppositum, est id, quod vires rei naturales non excedit seu quod causarum secundarum ordini subicitur. Sic v.g. ferrum naturaliter submergitur, supernaturaliter verò natat. Naturale oppositum violento, dicitur id, ad quod res naturâ vel suâ sponte feruntur vel ad quod res saltim aliquò modò sunt propensæ. Sic lapis deorsum movetur naturaliter sursum, verò violenter: Denique naturale, præter naturali oppositum, vocatur illud, quod est naturæ congruum & consentaneum, neque fit à causa externa & aliunde ac-

cedente. Hoc modo hominem nasci cum sex digitis est
præternaturale, nasci autem cum quinque digitis est
naturale. Sic aquam ascendere sursum sugâ vacui ei
est præternaturale, descendere autem deorsum ipsi est
naturale. Hisce prælibatis, dicimus consequens non es-
se absurdum, animam in statu separationis existere na-
turaliter. Omnibus enim hisce tribus modis status sepa-
rationis animæ est naturalis. Non enim est supernatu-
ralis, quia ille status non requirit supernaturalem Dei
concursum, cum anima ob suam à materia independen-
tiam possit separata existere per vires naturales & per
solum Dei concursum generalem. Deinde status sepa-
rationis animæ naturalis est secundo modo, quia ani-
ma rationalis hoc, quod separata à materia existit, non
habet à principio extrinseco sed ex intrinseca sua na-
tura. Tertio modo etiam est naturalis. Sicut enim ani-
ma non dependet à materia, ita naturæ ejus congruum
est, esse sine materia. Videri potest hac de re Vir Am-
pliss. atque Excellentissimus, Dn. Johan. Christoph.
Hundesbagen / Professor in hac Salana Log. & Met.
publ. Patronus & Præceptor noster ætatem colendus.
Ad probationem dicimus, eam non probare, quod
probandum est. Nam status conjunctus animæ est na-
turalis, quatenus illa sumitur respectivè, ut constituit
formam corporis. Nos verò consideramus animam
absolutè, quatenus est Spiritus seu substantia expers,
materiæ & formæ. Datur igitur hinc diversus respectus,
& sic non est absurdum, esse aliquid animæ simul natu-
rael & non naturale. Sed manum de tabula.

*Disput. de
anima se-
parata §.
21. & seqq.*

A. T. O.

Ardua

Arrdua res, animam post mortem vivere, nôsse.
Vivas perpetuò, svavis Amice, precor!

SEBAST. NIEMANN. SS. Th.

D. P. P. Past. & Superintend. & h. t.
Academiæ Rector.

Non morier nostras animas defendis Amice,
Si pergis, famâ non moriere tuâ.

Gratulab. deprop.

ERHARD VVEIGELIUS, P. P.

Alumn. Inspector. h. t. Fac. Phil.
Decanus.

Per Eximio atq; Literatissimo

DN. JOHANNI Freudenreich/

Phil. & SS. Theol. Studiofo

Industrio

cum

Publicè Disputaret

De

ANIMÆ IMMORTALITATE

To Ev

acclamat

JOHANNES CHRISTOPHORUS Hundeshagen/

P. P.

Non sunt vulgaris mentis conamina, Docto
Præside quæ profers, grator ad hæcce Tibi.

Politis-

Politissimo
DN. JOHANNI Freudenreich /
Philosophiae Cultori perquam Studiofo,
Amico in primis Caro,

Quum
Post probatam hactenus industriam oppidò
memorabilem,

Primum Periculum Academicum
facturus publicam animaret Cathe-
dram gratul.

★ ★ ★
HUMANAM Mentem dum differis esse perennem,
Nomen, AMICE, Tibi Tute perenne paris.

αὐτοχρῆσ.
M. JO. Weissenborn.

EN! Squalere situ nescit mens laudis anhela,
Id propter sursum tendere semper amat.
Hoc docet Eximius Respondens, pulpita scandens.
Acclamo: Veniat rite petitus honor!

*Fausta acclamationis E. paucula haec apponebat
Doctissimo atq; Prestantissimo Dn. Re-
spondenti, Amico & Fantori suo pluri-
mum honorando*

PRAESES.

Ad

Ad Prae-Eximium & Eruditissimum D. Respondentem.

GRatulor ex Animo T I B I de felicibus ausis,
Atque precor coeptis prospera quæque tuis.

Das heist nicht sterblich seyn/ wenn man den Sinn entfernet
Von dem/ was sterblich ist/ ich meyne/ wer was lernet
Von wohl geübter Kunst. Wer an der Erden klebt/
Und nur im Sünden Wust/ im Müßig gehen lebt/
Wie sonst ein Tügenicht/ der wird hier nicht geachtet/
Ja nach dem Tode wird sein Name nicht betrachtet/
Die Mus. n haltens so/ sie zieren ihren Mann/
Sie heben von der Erd' ihn an die Sternen Bahn.

Johann Andreas Zöll/
Jenens.

Madrigal.

Ein Freund der klettert frisch nach Pindus hohem
Zinnen
Weil sein erhitzter Sinn und angeflamter Geist
Nach teurer Wissenschaft ihn immer aufwärts reist.
Wol! steigt hurtig Himmel an.
Thalia wind' und binde ihm die Krohn.
Damit Er dorte prangen kan/
Wann Er erstigen hat den Sitz der Castalinnen!

Johann. Christoph. Kesselring/
Phil. & SS. Theol. Studiosus.

Ein

En in Kunst entbrandter Geist / der begiebet sich
von himmen

Aus der schwachen Nichtigkeit / zu ersteigen edle Zielen.

Der belobten Künste Ruhm; Er betracht nicht sauren
Schweiß

Er läßt Morpheus und Apollo sehen höchstbemühten
Fleiß.

Za er läßt nimmer nach bis ihn endlich auch bekrönt
Wohlerhauffter göldner Lohn so der Musen Ruhm
beschönt:

Und daß ist / das einzig giebt / daß man steige Him-
mel an /

Daß der Nahme wird versetzt in den blau Saphir-
nen Plan:

Daß der Nachwelt giebet Ruhm / ob man schon längst
weg gerissen

Nach der Libithinen Schoß. Drum Geist auff und sey
beflissen

Zu erjagen schönsten Preis / und wer angelegt die
Hand

Laß nicht ab nach sauren Eridt kömbt man auff be-
liebtes Land.

P. P. 3.

Immortalem animam scitè defendis, Amico!

Hinc immortalis Te comitatur bonos.

Hæc paucula Amico suo omnium sincerè ac fraternè
dilectissimo L. M. Q. gratul. adjecit

Johannes Bertram.

FINIS.

01 A 6574

ULB Halle

3

003 090 566



R. V D 17





Q. D. B. V.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
**ANIMÆ RATIONA-
LIS IMMORTALITATE,**

Quam
Jehovâ favente,

Amplissimâ Facultate Philosophicâ
Almâ in Salana suffragante,

SUB PRÆSIDIO

**M. JOHANNIS GEORGII De
VVetten, Mauâ-Thuringi**

Publico Eruditorum examini subicit

A. & R.

JOHANNES FREUDENREICH

Manstad. Thuring.

Ad diem Novemb.

H. L. Q. C.

J E N Æ,

Typis SAMUELIS ADOLPHI MÜLLERI,
ANNO M. DC. LXIX.



Pag
lia
Pag.
vid
Pag.
em
thi

I

